

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CCCCXXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295125)

CCCCXX.

LUDOVICUS DE GONZAGA MARCH. MANTUAN. PETIT AB ALBERTO MARCH. BADENSI LITTERAS COMMENDATITIAS AD PONT. MAX. ET COLLEGIUM CARDINAL.

ANNO MCCCCLXXXVII.

Ex Originali.

Illustrissime Princeps & Excellentissime Domine; Domine per Honoratissime. Ex felicissimis castris germanicis transmissas proximis diebus accepi litteras Illustrissime D. V. quas illa in favorem & adiumentum promotionis mee ad sanctissimum D. N. & Sacrum reverendissimorum dominorum Cardinalium Collegium iterato & accuratissime scribere dignata est, que etsi de singulari benignitate, eximio amore ac precipua gratia in me sua dubitaverim nunquam, harum in testimonio literarum suarum fidem, Spem & opinionem meam indubiam mirum in modum comprobavit ac me sibi jam diu devotum & deditissimum, recenti aeternoque hujusmodi officii sui vinculo devinxit at perpetuo munere obligavit, Quare eidem Illustrissime D. V. quas maximas possum, habeo gratias, offerens me, si quando altissimo placuerit, ad gradum seu dignitatem istam promoueri, quibuscunque beneplacitis, mandatis & commodis suis paratissimum ac perinde illarum rerum, que dignitatem, statum, gloriam & honorem Illustrissime D. V. continent, ac si de re

propria ageretur, studiosissimum: Verum pendente adhuc promotionis spe, ad quam nunc maxime ac firmissima dispositione idem Sanctissimus D. N. animum applicavit, cuiusque effectus pro peremptorio termino in proximam Salvatoris nostri nativitatem reservatur, ita ut nequaquam ulterius differendum videatur; nunc demum illustrissimam D. V. etiam atque etiam rogo, obsecroque ut navem istam meam, plenis velis ac secundis Zephyris portui apropinquantem fortissimis ac sapientissimis remigiis suis & novo literarum suarum suffragio favorabiliter introducat, que, cum apud Pontificem & Sacrum Collegium ptos non minoris sint auctoritatis & efficacie, quam cuiuscunque hujus promotionis mee summa precipua & eterna laude merito sibi vendicabit: Quod ut faciat quam primum & peropportune iterum atque iterum quibus maioribus possum precibus, oro atque contendo, comendans me Illustrissime D. V. Quam altissimus diu felicem ad vota conservet. Mantue XXVI. Julij M CCCC L XXXVII.

Ex. V.

Filius Lo. de Gonzaga	} March. M.
Electus Mantuanus	

INSCRIPTIO.

Illustrissimo Principi & Excellentissimo Domino, Domino & Principi Honoratissimo Domino Alberto, Marchioni Badensi, serenissimi atque invictissimi Domini D. Imperatoris nepoti.